

**Oratio anniversaria Harvaeana : habita in theatro Collegii Regalis Medicorum.
Lond. Die xviii Octobris, A. D. 1727.**

Contributors

Arbuthnot, John, 1667-1735.

Publication/Creation

Londini : Impensis Jacobi Tonson, 1727.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vqa6w76d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORATIO ANNIVERSARIA
HARVÆANA,
HABITAT IN
Theatro Collegii Regalis
Medicorum Lond.

Die xviii Octobris, A. D. 1727.



LONDINI,

Impensis JACOBI TONSON, MDCCXXVII.

2 U T A T 2

ИУГАИ ВИАМУГ

DIGNISSIMO PRÆSIDI

SOCIISQUE SPECTATISSIMIS

COLLEGII MEDICORUM


LONDINENSIVM

ORATIUNCULAM HANC,

Illorum Jussu Editam,

Humillime offert

JOHANNES ARBUTHNOT.





ORATIO ANNIVERSARIA HARVÆANA, Die xviii Octobris, A.D. 1727.



OLE N N E M hanc concionem (Præses & Socii doctissimi) reduxit hodiernus dies, quem Divo Medico Sacrum, etiam festum & lætum esse voluit, in clytum hoc collegium, quo quasi hospitio vos excipit immortalis Hervæus; atque invitat, ad amicitiam Lauto convictu colendam; & celebrandam memoriam illorum, qui de nobis bene meriti sunt.

ÆQUUM quidem est, quanquam difficile, ut vos inter assiduos Labores, curas, & querelas versantes, perfruamini eo otio, quod omnibus omnium ordinum hominibus, natura & consuetudo indulxit. Vetus est philosophi effatum, *quod beneficiorum collatione, & gratiarum actione, vita humana continetur*: nulla enim inventa est tam barbara, tamque inulta gens, quæ civibus, in-

genio & virtute præstantibus, qui que rem publicam vel consiliis adjuverint, vel opibus auxerint, vel rebus gestis defendenterint, debitos honores non persolvit. Hanc provinciam ab eloquentissimis viris hactenus administratam, me non dicendi, sed officii præstandi studio suscepisse Libens profiteor. Vos igitur auditores, mihi pauca, de vario Medicinæ statu præfanti, quædam etiam in Laudem virorum de medica hac republica bene merentium dicenti, nonnulla denique quibus ars medica promoveri, & amplificari poterit suggestenti, benevolos atque attentos esse oro.

DE Artium æque ac de Fluminum origine, frustra plerumque inquiritur ; ambo enim sua ducunt primordia ex rivulis vix sensu dignoscendis, donec in ampliores excurrant alveos ; nullam autem esse artem Medicina antiquiorem, hinc conjicere licebit ; quod idem quod per omne ævum viguit studium vitam prorogandi, illamque sine molestia degendi, attentos semper homines fecerit, ad ea quæ valetudini conservandæ, vel instaurandæ conferebant : alios autem monere, de iis quæ sibi prodesse aut nocere sentiebant, ipsa jubebat humanitas. In dubio igitur non est aliquantillam fuisse Medicinam, morbis & mortalitati coævam : Medendi artem, cœlitus esse delapsam, ab ipso numine afflatam, inventam, aut edoctam, proclaimant, tam sacri quam profani scriptores ; *Deorum immortalium inventioni consecratam* ; prout inquit summus inter Romanos orator atque philosophus. Quæ de Osiride, Iside, Prometheo, Apolline,

Æscu-

Æsculapio, aliisque diis & semideis Medicinæ inventoribus, tradidit antiquitas; fabulosa licet, hoc saltem veritatis includunt; divinam existimasse homines Illam artem, cuius divinos excogitarunt autores. Hinc tamen fortasse accidit, ut Medicina in ipsis incunabulis, superstitioni, atque magicis artibus tam arcte conjuncta fuerit, ut vix ab earum consortio, apud vulgus, penitus unquam divelli poterat; *adeo a teneris confuescere multum est*: Medicina enim puerilem agens Ætatem, puerilia solum tractabat Arma: Juventutem adepta, ratiocinari quidem incepit, sed parum argute; Anatomiae enim ministerio destituta, frustra tentabat rationem reddere affectuum illius subjecti, cuius structuram ignorabat. Veteres enim Græci, propter stolidam erga mortuos Misericordiam, viventium saluti consulere noluerunt. Quicquid enim prædicat Galenus de perfecta Asclepiadum anatomia, nullum fuit Aristotelis tempore, ipso fatente, apud Græcos apertum corpus humanum: & verisimile est Erasistratum & Herophilum, longe post ævum Aristotelis, mortuos, & vivos nocentes, quos a Regibus acceperunt, primos dissecuisse. Medicina tum, prout mos est iuvenilis ætatis, vires exercevit Corporis, potius quam ingenii: monstrante quodam Herodico Medicinam gymnasticam, qua integrum morborum curam, palestricis quibusdam exercitationibus absolvit, Morbosque Lassitudine contractos, nova Lassitudine tollere aggressus est: ob hoc & multa alia merito reprehensus ab Hippocrate.

Qui tanquam splendidum quoddam Lumen ex densissima illa nocte subito emicuit; sub cuius auspiciis, Me-

dicina, virilem statum assequuta, non gradatim, sed uno
 quasi saltu, ad Gloriæ fere culmen evasit. Vir sane ob so-
 lertiam plusquam humanam, tanto magis admirandus,
 quod sine adminiculo anatomiae accuratae, vel animalium
 motuum theoria, artem fere totam, sagaciter invenerit, fe-
 liciter exercuerit, dilucide docuerit: qui infinitas morbo-
 rum series humana corpora infestantium, accurate evolvit,
 symptomatis descriptsit, nominibus distinxit; quarum pe-
 riodum, & eventum tam exacte notavit; curamque
 diæta, Pharmaceutice, & Chirurgia tam accurate peregit,
 ut hallucinari vix poterit Medicus, qui divini hujus
 autoris scripta diligenter evolvit; hæc tam pura, per-
 spicua, perpolita, atque eleganti oratione explicuit,
 tanta subinde cum dignitate & sublimitate, ut meri-
 to inter primos, tam dicendi quam medendi artifices
 censendus sit; nec fuit magis arte, & facundia quam
 virtute insignis, ad quam vitæ integritatem discipulos
 suos, non tantum consiliis & præceptis impulit, sed sa-
 cramento obstrinxit. Qualem iis commendat morum san-
 ctimoniam, industriam in curandis ægris, pietatem
 erga præceptores, fidelitatem erga discipulos, in victu
 temperantiam, in vestitu modestiam, calumniæ absti-
 nentiam! nos non dedecet, clarissimorum virorum de
 nobis benemerentium laudem celebrantes, divini nostri
 præceptoris memores esse; quem in maximis viris ha-
 bendum esse, quivis existimabit. Quam inique com-
 paratum est, ut homines Gloriam, veræ virtutis præ-
 mium, in eos plerumque conferant, qui nocivis potius
 quam utilibus pollent artibus. Hoc titulo omnia fere
 famæ

famæ sibi arrogarunt monumenta, qui vicitribus armis regna debellarunt, qui regiones late, bello & incendiis popularunt, & veteres regionum incolas patriis finibus expulerunt. Tu venerande senex, sanorum omnium judicio, Alexandro, aut Cæsari tantum præfulges, gloriæ splendore, quantum is de humano genere melius meretur, qui omni studio in id incumbit, ut homines salvos reddat, quam qui ad internacionem illos prosequitur; qui saucios sanavit, quam qui sanis vulnera inflxit.

Post ævum Hippocratis, multa quidem in corporum animalium fabrica, pauca admodum in morborum Historia detexit Medicina; tamque Lucri studiosa, operosa & diligens, latius sua pomœria extendere cœpit, atque multiformes suos labores partiri coacta est, inter diversi generis artifices, Medicos diæteticos, pharmaceuticos & Chirurgos. Commodam hanc rerum dispositionem sæpius inturbavit, Legum impatiens, humana Lictoria, nec enormes in ordinem cogere, unquam fuit possibile. Pharmaceutice jam exulta, & operum plena-hoc habebat incommodi, quod medicamentorum luxuriam introduxerit, ipsis fere Morbis sæviorem.

Abitum tum temporis Medicina non solum in varias profesiones, sed varias etiam sectas, sævas inter se iras gerentes de rebus parvi momenti, si lucrum excipiatis. In omnibus erat quod jure reprehendi, quodque jure probari poterat; inter eas, quæ methodica erat dicta, genuinam, & mechanices legibus congruam assignabat plurium morborum causam, a stricta nimis, aut laxa fibrarum

fibrarum compage pendentium: in angustum autem concludebat Medicinæ praxin, generali huic theoriæ accommodatam. Empirici, proscripta ex Medicina ratione, experientiæ solæ innixi, experimenta ad causus prorsus dissimiles imperite saepius transferebant: è contra Dogmatistæ ratione gloriantes, tam male argumentati sunt, ut præstaret nullis, quam talibus uti ratiociniis. Ex Empiricis & Pharmacopolis nati sunt circulatores agyrtæ; circumforanei & sellularii Medici; tribus licet infima, tamen maxime numerosa & perennis; medicinæ etenim non aliter quam picturæ, & poesi, aliisque quibusdam artibus liberalioribus accidit; inter numerosos artifices dispendium famæ subisse, & quo usu fuerit communior, eo viliorem esse factam. certum est Antiquis Romanis, & ipsi Catoni Alienigenarum, præcipue Græcorum hominum, suspectos fuisse tam mores quam medicinam, adeo ut artem fere ipsam, legibus abolere decreverant, cujus professores legibus distinguere, & coercere solum necesse erat: nec ideo Medicinæ aliqua aspergitur labecula: æquum enim non est, ex Artificum quorundam statu & moribus, de ipsa arte conjicere. Quis enim, nunc dierum, Medicinæ dignitatem æstimabit ex infima plebe eam factitantium, qui apud vulgus eodem Medicorum titulo insigniuntur? Contumeliam tam ineptam propulsare vix operæpreium est. Affirmare quoque non verebor, neque Romanam, nec aliam gentem fuisse, Medicina penitus destitutam. Apud Britannos, priscis temporibus, Druides Theologorum, Juridicorum, & Medicorum juncto fungebantur

fungebantur officio; quorum maximum erat Remedium, præter viscum quercinum multa superstitione collectum & præparatum, Homines pro ægrotorum salute immolare; quæ methodus medendi apud Empiricos, & Medicastros Druidarum successores non prorsus exolevit; qui homines, sed non tam honesto consilio, jugulant; hoc pariter infelices, quod experientia sua lethifera, in salutem superstitem vertere non norunt. Nullus dubito, quin Romani, inter alias bonas artes, Medicinæ Scientiam Britanniæ intulerint: utque, Romanis ipsis fatentibus, docilia, & ad ingenuas artes propensa erant incolarum ingenia, credibile est bonas Literas, quæ in hac Insula altas egerant radices, nunquam penitus extinctas fuisse; patet etiam ex quibusdam quæ nunc extant scriptis, Medicinam apud Anglos, aliquot retro sæculis, plus fortasse, quam apud vicinas gentes, excultam fuisse.

SED ad pristinum decus, & lumen arti Medicæ conciliandum, duo eodem tempore feliciter conspirabant: resuscitatæ Græcæ literæ, quibus integra fere consignata erat scientia medica, & medicorum societas, quæ nostræ arti, præ omnibus aliis, necessaria est.

Ego res vobis notissimas, in memoriam nunc revo-co, ut demonstrem omnia hæc incommoda, stabiliti ordinis & disciplinæ defectu arti nostræ accidisse: aliter enim Medicinæ, quam opificiis maxime vilibus usu venit: Hæc nemo nisi posito tyrocinio aggreditur; ad Artem vero nostram, maxime difficultem, & tenebris obsitam, se accingit quilibet ineruditus. Contra hanc petulantem hominum audaciam & propensam vulgi creduli-

credulitatem, unicum erat Remedium, doctos & usu peritos medicos in unum congregare sodalitum; aliter enim populo opus esset medicinæ scientia, ad ipsos medicos eligendos. Propterea prudentissimi nostri Principes, & legum Latores, quibus majori erat curæ civium valetudinem ab impostoribus, quam bona a prædonibus tueri, Collegium hoc constituerunt & legibus munierunt; cuius Sociis mandatum est civium valetudini prospicere, & imperitos a Medicina facienda arcere.

HUJUS nostræ Reipublicæ Medicæ Fundamenta posuit, Munificentissimus Princeps Henricus octavus, suadente optimo Linacro, qui sic Memoriam immortalem conciliabat Principi, apud quem Archiatri fungebatur Munere. Sub Magnanimi Henrici auspiciis tam religio, quam bonæ literæ, excussa tyrannide & caligine, pleno jubare resplendere cœperunt. Multa tu fortissime Princeps, præclare pro republica, bello & pace, domi & peregre gessisti; dum infamia desidiæ, luxus, & ignorantiae Asyla radicitus extirpares, Artibus liberalibus præstabas habitacula. Quam tuas suppliciter ambiebant amicitias peregrini Principes, quam tuas virgas atque secures tremebat populus! Si quædam minus humaniter fecisti, horum nos memoriam abjicimus, propter insigne hoc erga cives miseros, & ægrotantes, clementiæ indicium. Tibi enim literarum Fautori, & Elizabethæ Genitori nihil non condonandum est. Quid tibi nunc prodest, munificentissime Princeps, omnem censum exuperans patrimonium? ex opibus undique congestis, & prodiga manu dispersis, id tantum nunc habes, quod in doctos & honestos viros erogaras.

erogaras. Evanuit adulatrix, & importuna Aulicorum turba, quæ loculos tuos exhauire solebat, ex omnibus quos muneribus demeritus sis. Nos fere soli adsumus, qui nulla spe aut assentatione inducti, tua erga nos beneficia grato animo comemoramus.

PROXIMOS Henrico Honores, merito sibi vendicat optimus Linacer, qui pro nobis civitatem ab Henrico impetravit; qui medicæ arti vagæ & inornatae primus Lares, & tecta dedit. Multis de causis nobis licet, de nostro parente Linacro gloriari, qui talis omnino fuit tam Indole, quam vivendi instituto, qualem esse opportuit Medicinæ & omnium bonarum Artium apud Populares suos instauratorem. Incœpto tam arduo non sufficiebat ingenium sine corde; sine animi constantia, & importuna quadam doctrinæ siti, qua stimulatus eruditionem, quam domi minus perfectam inveniebat, apud exteris exquirebat gentes; ex quibus ille, non Luxus alicujus novi matteriam, patriæ invexit, sed commercio magis honesto, & commodo, bonas literas atque artem ipsam salutis præsidem; nosque idoneos reddidit ad revehendum deportatas doctrinæ messes; & docendum alias gentes artes, quas ex ipsis didicimus. Utque optime noverat cognatas inter se esse scientias, ad varia studiorum genera se adjunxit interminatum ejus ingenium: in quibus nihil mediocriter, omnia insigniter fecit. Testor specimina quæ post se reliquit, in Medicina, Mathesi, Grammatice, & humanioribus literis, dilucide & ornate conscripta. Testor coætaneos ejus doctissimos, qui illum tanquam præcipuum orientis doctrinæ lumen suspici-

ebant: imprimis Erasmus, qui Linacrum intimi amici, præceptoris, patroni titulis cohonestavit. Ad res autem nostras maxime opportuna erat illa, qua enituit Linacer, morum elegantia, quæ eum apud Henricum in gratia posuit; & ea animi magnitudo, ut principis gratia illiberaliter uti noluerit, ad augendas suas fortunas, sed ut publicæ utilitati inserviret; sic enim & genio & famæ consulebat: non enim Linaci nomen tam nobilitasset familia, in ampla prædiorum possessione constituta; quam prosapia honestorum, & doctorum viorum, qui patriæ virtutis æmuli, solenni, & verecundo cultu ipsius memoriæ parentare solent.

PROSPERE rebus nostris evenit, ut post Linaci tempora ortus sit Caius; qui Linacro indole, moribus, & studiorum ratione, adeo similis fuit, ut novam illi panegyrin instituere vix necesse sit; par erat utrique ingenii acumen, & scientiæ cupiditas, quæ utrumque impulit, ad scrutanda scientiarum abdita, per Italas Scholas. Ex iisdem Græcis & Romanis Fontibus, puris, illimibus, ambo doctrinam suam hauriebant: easdem ambo benevole aliis appiebant. Idem utrique fuit animus beneficus, generosus, liberalis; erga artis alumnos, quorum Coloniam satis numerosam, & doctorum virorum fæcundam, apud Cantabrigienses suos collocavit Caius: pari denique uterque flagrabat studio, erga rem publicam hanc Medicam. Dignus fuit prorsus Caius qui a Linacro incepto operi extremam admoveret manum; qui jura nostra strenue propugnavit; & causam nostram contra iplos juris consultos prospere dixit; inter plurima pro nostra societate,

societate, præclare gesta; collegii insignia decora & idonea excogitavit, & impetravit. Serpentem nobis assig-
navit antiquitas, tanquam prudentiæ symbolum, non
ut ipsius sibilo, & dentibus ad lacesendos sodales, ute-
remur: Pulvinar nobis dedit Caius, honoris indicium,
non oscitationis aut somnolentiæ fulcrum, quam assiduæ,
& vigiles Medicinæ curæ nobis non concedunt. Perpe-
tua igitur apud nos Gloria floreat Caius, qui non solum
res nostras feliciter administravit; sed rerum gestarum
memoriam, eleganti quo pollebat stylo, posteris config-
navit.

P R A E C E D E N T I B U S hisce sæculis e Barbarie nuper elapsis, nunquam defuere viri docti, & munifici, qui artes renascentes, studiis excoolerent, & opibus alerent. Inter quos eminuit Caldwallus, quem propter insolita viri merita, solitis ritibus solutum esse voluit Academia. Is igitur omnia fere apud nos honoris stadia uno die confecit; ab iisdem Comitiis in sodalitum ascriptus, & ad censoris munus maxime momento-
sum evectus: nec quam de eo conceperat Academia spem, fecellit vir optimus, qui doctrina, & moribus tan-
tum acquisiverat nomen, ut ipsius munificentiam, &
mortem commemorare dignatus est celeberrimus Camb-
denus sequentibus verbis; *Anno domini millesimo quin-
gentessimo octogesimo quinto, fato functus Richardus
Caldwallus, e Collegio Ænei Nasi Oxoniensis Med. Doctor:
qui ut de republica bene mereretur (ascito in partem
honoris Barone Lumleio) lectionem chirurgicam hone-
sto salario, in Medicorum Collegio Londini a Thoma*

Linacro fundato instituit, juxtaque ad Sti. Benedicti inhumatur, monumento Laqueis, Plintheis, & Carchesii, scanno Hippocratis, Glossoconiis, & aliis Chirurgicis ex Oribasio & Galeno, Machinamentis, ornato." Nec aliquid largiri potuit Caldwallus, magis honestum, & nobis utile: medicum enim opportet artes noscere multas, quas excercere non convenit; ex publico commodo fuit chirurgiae, & pharmaceutices praxin, non studium, a medicina separare.

Eodem benevolo erga nos animo, commotus Theodorus Gulstonus, Lectionem pathologicam instituit, ut tam partium structura quam morborum sedes oculata fide innotescerent, & socios hujus collegii accenderet ad exhibenda studiorum specimina præmatura & laudabilia, utque fortasse eos in dicendi arte excercitaret, cui ipse maxime favebat. Id enim non solum hujus societatis sed patriæ honori cessit, quod inter medicos, plurimos politioris elegantiae fautores, & magistros reperies.

AUSPICATO sane die, Cathedram suam posuit optimus Caldwallus, quam paulo post ornavit immortalis Harvæus, atque ex illa tanquam ex tripode, magnum naturæ Arcanum, Sanguinis circuitum, ad suum tempus reconditum, patefecit: sic enim philosophiæ, ne dicam humani intellectus delebat opprobrium, qui simplex hoc naturæ Machinamentum, vim animalis corporis motricem, per tot sæcula non detexerat: donec Harvæus naturam reluctantem, & Protei ad instar sub mille formis se abscondentem, novis artibus aggressus, ipsam, strictis religatam nodis, oracula sua reddere coegit: oculis enim fideli-

fidelissimis rerum internunciis, cordis & sanguinis motus in vivisectionibus observabat, experimentis explorabat, omniaque vel autopsia vel experimentis reperta, ad mechanices & arithmetices leges revocabat. Tali indagine uti eum opportet, qui naturæ venatur arcana; his artibus innixo, nunquam deerit prosper eventus: ad Harvæi gloriam redundat, & in æternum redundabit, hujus inventi laus: mihi tamen perswasum est, illud Anatomiae & Matheſeos peritum diù latere non potuisse, quodque hunc sanguinis Circulum invenisset vel Erafstratus Geometra, vel Archimedes Anatomicus. Dupliciter Harvæi famam obruere conati sunt coætanei sui: cæco primum & vano impetu, ipsam circulationis doctrinam adorti sunt: tandem cum eam demonstratione munitam evertere possibile non erat, nobilissimi inventi gloriam alio transferre moliuntur; nullibi enim iniquiora quam apud doctos bella geruntur; qui sæpe injuriose in alienas irruunt possessiones. Tanta autem modestia & animi candore contra sanguinis circuitum disputantes docebat, potius quam refutabat Harvæus, veritatis, non gloriæ studiosus, ut eorum aliquos, præcipue doctissimum Plemplium non puduit palinodiam canere; nec meliore fato usi sunt qui ab Harvæo inventoris jus adimere voluerunt; quantula enim reperti hujus portio aliis debetur, paucis expediam.

E A est humanitatis conditio, ut obvia plurima, quæque mentis æque ac corporis oculis fere obversantur, sæpe visum effugiunt; non is igitur pro rei inventore habendus est qui eam propius attigerit, aut qui ea dix-
erat

erat ex quibus inventum ipsum, facili ratiocinio deduci poterit; sed qui illud aperte & dilucide explicavit. Obiter quædam protulit Hippocrates de sanguinis motu constante, de venarum, i. e. vasorum sanguiferorum circulo, de vasis sanguiferis, ex quibus tanquam vitæ fontibus, flumina excurrunt ad irrigandum Corporis alveum. Hippocrates pariter ac Plato agnovisse videtur usum & actionem cordis, sanguinem versus corporis extrema propellentis; sed in eo reducendo parum curiosus, imaginatus est quendam sanguinis æstum, Maris æmulum, per eadem vasa fluentis, & refluentis. Omnia hæc redolent ingenium viri sagacissimi, veritatem quasi in tenebris palpantis; sed longe absunt a systemate Harvæano, cui plurima parum consentanea, etiam contraria, passim in operibus exposuit Hippocrates.

INTER recentiores Michael Servetus, Medicus Hispanus, libro millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio edito, cui titulus Christianismi restitutio; circuitum quendam sanguinis, per pulmones breviter describit: eundem fusi explicavit, & pro suo venditavit, Realduis Columbinus, Anno millesimo, quingentesimo quinquagesimo nono; nec ideo fortasse furti insimulandus, cum idem utrique eadem natura magistra monstrasset: Huic Columbini doctrinæ quædam superaddidit Andreas Cisalpinus quæstionibus suis peripateticis, Anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo impressis. Pauca hæc quæ de sanguinis motu per pulmones suggererant viri illi sagaces, oblivione, & taciturnitate Anatomicorum sequentium tecta fuere; donec Harvæus integrum circulationis

culationis Theoriam apperuit, in prælectionibus suis anatomicis habitis coram sociis hujus collegii ; quas Francofurti novem post annos, nempe millesimo sexcentesimo vigesimo octavo publicavit ; quibus sanguinis Motum, ad suum tempus reconditum, ocularibus demonstrationibus confirmavit ; ab objectionibus liberavit, omnemque naturæ mechanicen, & instrumenta explicavit, quibus sanguis propulsus corpus animale, pleno flumine proluit. Hanc inventionem novam, & suam, jure dicere potuit vir veridicus, verecundus, qui nullius famam vel aucupari, vel laceſſere solebat : nec contentus Motus hujus causas, in animalibus perfectis explicasse, illius primordia in animalibus nascentibus rimatus est ; sua autem tam parce æſtimabat, ut necesse fuit Amico ejus doctissimo D. Georgio Ent ex ejus manibus extorquere excercitationes de generatione Animalium : opus summa cura elaboratum : in quo Author pro more, nihil inconsulta natura stabilivit.

PROPTER hæc, & alia quam plurima, quæ in scientiæ naturalis, & Medicinæ utilitatem meditatus est Harvæus, dignus est, qui in omni doctorum virorum cœtu celebretur : perennes vero apud nos laudes meretur, qui artem & famam nostram studiis, qui res nostras opibus auxit, qui amore plus quam paterno nos complexus, non solum nos prædiorum suorum hæredes, sed ipso vivente possessores constituit ; qui minutissimis nostris commodis prospicere dignatus est : ædes nostras ampliavit, locupletavit : Cœnaculum non solum extruxit,

truxit, sed mensam apposuit, & præter convivium censorum menstruum, Hodiernum etiam apparavit epulum; cui ipse senex hilari vultu quondam interfuit, & cui interesse non designati essent, Plato, Xenophon, Plutarchus, eruditorum convivatores, & convivæ, qui probe noscebant quam allicant benevolentiam & urbanitatem, mutuuus contuitus & convictus, liberalia colloquia, & plena festivitas. Epulas quoque suas condiri voluit Harvæus, solenni præconio illustrium viorum, qui nostræ reipublicæ Medicæ immortalia contulerunt beneficia, ut res ab illis præclare gestas, ab obliuione vindicaret; & posteri in æmulationem accenderentur. Nec præscriptas muneris oratorii metas transgredi mihi videor, si hinc occasionem arripiam gratulandi Anglorum Genti, de duobus civibus natis ad proferendam patriæ suæ famam, usque ad supremum naturæ terminum. Frustra a me expectabitis altisontia principum nomina; alias designo viros humiliore loco natos, pùriore lumine resplendentes; Harvæum qui microcosmi, Newtonum qui macrocosmi sistema patefecit: Hunc qui corporum cœlestium; illum qui corporum animalium vires Motrices explicuit: uterque gloriam adeptus est duraturam quam diu vel fluores animales, vel Astra solito decurrent tramite: quamdiu vel motus cœlestis, vel motuum cœlestium speculator terrestris extiterit.

PROXIMUS in Albo nostro effulget Baldwinus Hamæus; Vir omni laudum genere præstantissimus, qui summas ingenii dotes, liberalibus disciplinis ex-

coluerat, qui non solum Medicinam, sed omnes Apollineas artes, feliciter exercebat; qui omnibus Collegii officiis, honeste & diligenter perfunctus, supremum detrectavit: hujusmodi viro, liberali, sapiente, provido, indigebant res nostræ tunc temporis concussæ, per duas calamitates, omnium maximas; Bellum civile, bonis artibus semper infestum, & incendium vorax quod nos, atque nostros concives, pariter affligerat, & cum sacris non pepercit ædibus, nostras etiam prostravit lares: hisce malis succurrens Hamæus, non solum nos suis adjuvabat opibus, sed subsidium satis magnum a benevolo cive impetravit, Collegium sub hasta positum, sua redemit pecunia, cœnaculum ornavit; nostræque simul existimationi, & ægrotorum saluti, æque prospiciens, nosocomiorum Medicis, è gremio hujus collegii eligendis, stipendia ampla locavit, & parvi faciens beneficia a se vivo tributa, post mortem nos prædiorum suorum hæredes reliquit.

No n defuere etiam cives opulenti; qui cum rebus nostris egenis subvenirent, perpetua virtutis & famæ sibi monumenta statuere. Inter quos Edmundus Boulterus, condonata nobis, & sic optime fœnerata pecunia, perpetuam sibi, & avunculo gloriam acquisivit; quam posteris enunciabunt hi parietes, illorum resuscitati sumptibus: qui quanto fuere homines frugi, tanto magis eorum munera æstimanda: perpetua apud nos commemoratione florebit eorum pietas; cum obliuione tecti jacebunt inutiles illiberalium civium acervi.

DIVERSORUM sæculorum diversi sunt mores, diversæ deliciæ, sumptus diversi. Quantum unum, ad artes utiles promovendas, libenter erogarat; alterum in lusus scenicos & larvatos, Histriones, cinædos, & moriones, impendet. Priscorum temporum vir fuit Henricus Dornarviæ Marchio; qui a juventute, severioribus assuetus studiis, multum in omnibus disciplinis profecit, cumque valetudinem assiduis Lucubrationibus labefactam, reparasset Medicina, tanto in honore habuit tam artem, quam artifices, ut sodalitium Collegii, quod etiam doctrina promeruit, ambire dignatus est, & in perpetuum Gratitudinis testimonium, Bibliothecam suam numerosam, selectam, pretiosam nobis donavit.

DIES mihi deficeret recitanti sociorum benevolentrum munera non levia, quippe amoris pignora: nec oratiuncula hac comprehendere licet aliorum hujus collegii sociorum laudes, qui studiis artem & famam nostram ampliarunt; Lowerum qui ad Harvæanum Systema ulterius elucidandum, cordis fabricam & usum accuratissime descriptis; Whartonum qui universas corporis Glandulas, morborum plurium sedes, primus fere lustravit; Glissonium Hepatis, Cronium muscularum Anatomia clarum: Willisum qui nullam artis Medicæ partem, incultam, & inornatam reliquit. Sydenhamum Hippocratis æmulum, qui plurimis, atque utilissimis inventis, ad morborum Historiam, & curam pertinentibus artem nostram locupletavit; neque me suspicamini, Auditores, aliorum immemorem esse, quos præterire cogit orationis brevitas.

AD duplex nos officium destinarunt fundatores nostri: ad cooptandos in nostrum sodalitum viros, virtute, & doctrina præstantes, ad Medicinam excercendam & promovendam, continuo succenturiatos; denique ad imperitos & impostores, a Medicina facienda cohibendos. Quantum priori instituto satisfactum est, monstrat non solum prædicta oratio, sed prælustris quam aspicio doctorum sociorum cœtus: quorum tamen collaudationem, prohibet fere consuetudo, famæ solum posthumæ consulens: ita enim comparatum est, ut honores solum ad mortuos sine labe aut invidia perveniant. Diu absit a vobis, socii charissimi, panegyricus hoc titulo acquisitus. Quantus autem Futuris oratoribus patebit dicendi campus, qui Præsidis nostri doctissimi, vigilantissimi, labores & sumptus in publicum impensos, digna & sera precor oratione celebrabunt, qui beneficia enumerabunt præstantissimi viri, cui opes & animus omnem majorum munificentiam longe exuperantes. Sed diutius in Argumento quod ipsius Modestiam, & vestra interturbat Gaudia, immorari non lubet.

QUOD ad secundam muneris nostri partem attinet, bonis quidem legibus cautum est: ne arti nostræ omnium, prout excercetur, vel utilissimæ, vel maxime perniciosa, se ingerant ineruditæ: ad quorum tamen effrenem licentiam comprimendam, irriti adhuc fuere nostri Labores; nec tamen nos culpandi, sed ab aliis hoc incommodum profluxit causis, quas reticere opportet; in ea enim tempora incidimus, ut nec latius quotidie

serpens malum; nec Remedia ferre possumus. Vos illiberaliter tractant Empirorum patroni; vos inquam, quibus incumbit, non solum morbos profligare, sed illata ab imperitis damna resarcire. Inique vobis exprobrant inauspicatos morborum eventus, qui negotiis vestris se immiscent; qui consilia vestra male mulcent, qui vobis fere invident facultatem, ex more omnium artificum, inspiciendi in opificii vestri matteriem & instrumenta, detegendi fucum medicamentorum; quo cives a pharmacis corruptis, & venenatis arcere possitis.

HODIERNAM medicinam, novis laboribus oppressam, opportet esse operosam, & aliquid novi molientem contra insuetos, qui continuo ingruunt, morbos ex novo luxu, & ingluvie oriundos. Pandoræ pyxidem centies exhaustam, centies ad marginem replebit operum fœcunda luxuries; nec in proclivi est medicinæ, valitudinem humanam tueri, contra Insidias, quas quotidie illi struit fœda hæc pestis: per mistas commercio gentes se sparsit acerbum, & priscis sæculis ignotum morborum par, variolæ, & lues venerea, cum infinita malorum propagine ex duplice hoc stemmate pullulante, quæ novum medicis facessit negotium, adeo ut postremum hoc ævum non solum medicinæ, sed mundi senectutem appellare licet; quo, sicut Genus humanum pluribus morbis obnoxium esse videtur; sic medicinam matiore experientia, & multifariis artibus, instrui & armari decet: Arti igitur huic nostræ, tot circumventæ difficultatibus, summa diligentia invigilandum est. Videlis, quam boni estis seminii, qui quantique fuerint hi viri,
quibus

quibus ortum debetis; quantaque fuerat majorum vestrorum laus; vos igitur, paternæ virtutis memores, famam hujus academiæ, quam integrum a majoribus accepistis, intaminatam, & novis auctam honoribus ad posteros transmittere opportet.

A R T E S Medicinæ ancillantes, feliciter jam exultæ, & ad summum fere gradum evectæ, ampliora vobis quam majoribus vestris subsidia ministrant: Anatomia operosa, & subtilis, universam humani corporis fabricam nobis patefecit. Minutissima quæque in partium structura, oculis subjecerunt instrumenta catoptrica: ad motus animales, tam internos, quam externos explicandos, auxiliatrices porrexit manus dia Mathesis, qua prospere usi sunt recentiores, tam in animalium corporum, quam aliis naturæ phænomenis enodandis. Pariter vero a scopo aberrant, qui omnia in animali œconomia, & qui nihil ipsius ope explicare sperant; pleniorum nobis suppeditavit, simplicium medicamentorum notitiam Historia naturalis: Medicam scientiam multum auxit chemia neoterica; cuius ope corpora terrestria, in principia resoluta, intimam nobis pandunt naturam: non solum medicamentorum vires detexit ars spagyrica, sed novas superaddidit, plurimaque in corporum terrestrium actione & reactione reclusit, ad omnes artes, imprimis ad pharmaceuticen necessaria; fatendum est tamen omnia hæc subtiliter inventa Medicinæ Theoriam magis quam praxin locupletasse. Nihilominus si nos non licet, hisce artibus instructos, novis hisce indutos armis, valetudinem humanam prorsus tueri, aliquid novi, pro ægrotorum salute assidua opera

pera meditari & moliri opportet; a vobis plura reportavit commoda, plura expectat respublica medica: quibus verum non sat est, labentem Academiæ autoritatem, & disciplinam sustentasse, opes auxisse, ædificia ornasse, pharmacopœiam reformasse, nisi novo quodam tentamine, & sanandi artem, & vestram gloriam augeatis amplius, & ornetis.

NON penes erat universas Græciæ scholas, Cnidiam, Coam, Rhodiam, tantas medicinæ suppetias, centum annis attulisse, quantas uno solum suppeditare valet experientia vestra. Verissimile est priscas has medicinæ Academias inter observationes quas tabulis consignarunt, synchronas morborum populariter grassantium & Cœli constitutiones notasse. Plurima huc spectantia, e suo vel illorum penu deprompta, nobis monstravit Hippocrates; quædam ex proprio diario conscripsit, Hippocrates alter, Sydenhamus; quæ quantam Medicinæ lucem & famam adferant, vos commonere necesse non est. Si vero ex hujusmodi specimine, uno aut altero, uberes perceperit medicina fructus; qualis expectanda erit messis ex morborum epidemicorum annalibus conjuncta vestra opera congestis, & in parallelismum reductis, cum Ephemeride meteorologica; quam accuratissimam nunc tenemus & tenendam speramus ex ingenioso hujus collegii socio, suisque successoribus.

QUIN ETIAM præterire non possum alterum nostræ artis penum locupletem, & inexhaustum, morbidorum cadaverum scrutinium: cui (ut traditum est) se accingebat immortalis Harvæus, tanquam stabili, & certo pathologiae

logiæ fundamento. Fuit hæc Medicinæ promovendæ Methodus, sicut maxime obvia, ita maxime antiqua, apud Ægyptiorum Reges, quibus, teste Plinio, *erat studium corpora scrutari mortuorum; & causas valetudinum, oculata fide recognoscere.* Vobis exploratum est, quam difficile sit, absque anatomia, de morborum quorundam causis latentibus judicium, & quam in proclivi sit in aperto cadavere, mutuam symptomatum & phænomenon cohærentiam invenire; atque ex morbis incurabilibus, maturas ad curabiles cautiones adhibere, aut vitia mortis prænuntia percipere; sic ægroti vitam, aut saltem Medici famam incolumem conservare. Quod vero in morbis defunctorum anatomia, varia sæpe specie nos illudant, symptomata morborum univoca, infidæ morbi Historiæ, casuum inopiae, vel attentioni Medici parum curiosæ imputandum est. Non ego vos commonefacerem de re notissima, &, quantum in vobis est, quotidie in praxin revocata, nisi mihi persuasum esset vos publico & academico more, aliquid ulterius potesse in cadaverum morbidorum sectione, ad quam nos fere invitat nosocomiorum vicinia.

C O N D O N A B I T I S, Socii charissimi, pauca hæc quæ mihi dictavit Flagrantissimum studium erga vos vestramque rempublicam: plura ne dicam, vetat virtus vestra probata, quam opus non est oratione eicare.

Concordia
debet esse
in unitate
et concordia
in diversitate
et in dissimilitudine
ut in diversitate
unitate et
in dissimilitudine
concordia.
Concordia
est unitas
in diversitate
et diversitas
in unitate
et diversitas
in diversitate
ut in diversitate
unitate et
in dissimilitudine
concordia.
Concordia
est unitas
in diversitate
et diversitas
in unitate
et diversitas
in diversitate
ut in diversitate
unitate et
in dissimilitudine
concordia.